

## De vnguibus.

CAP. XLV.

**V**ngues clausula neruorum summa existimantur. omnibus hi quibus & digiti, sed simia imbricati, hominibus lati, & defuncto crescunt: rapacibus vnci, ceteris recti, vt canibus, prater eum qui a crure plerisque dependet. Omnia digitos habent quae pedes, excepto elephanto. Huic enim informes numero quidem quinq; sed indiuisi, ac leuiter discreti, vngulisq; haud vnguibus similes, & pedes maiores priores. In posterioribus articuli breues. Idem poplites intus flectit hominis modo. Cetera aetalia in diuersum posterioribus articuli pedibus, q̄ prioribus. Nā quae animal generant, genua ante se flectunt, & suffraginum artus in auersum. Homini genua & cubita contraria: Item vrsis & simiarum generi, ob id minime perniciousibus. Oua parientibus quadrupedum, crocodilo, lacertis, priora genua post curuantur, posteriora in priorem partem. Sunt autem crura his obliqua, humani pollicis modo. Sic & multipedibus, praterquam nouissima salientibus. Aues, vt quadrupedes, alas in priora curuant, suffragines in posteriora. Hominis genibus quaedam & religio inest, obseruatione gentium. Haec supplices attingunt, ad haec manus tendunt, haec vt aras adorant, fortassis quia inest ijs vitalitas. Nanque in ipsa genu vtriusque commissura, dextra leuaq; a priore parte gemina quaedam buccarum inanitas inest: qua perfossa, ceu iugulo, spiritus fugit. Inest & alijs partibus quaedam religio: sicut dextra osculis auersa appetitur, in fide porrigitur. Antiquis Graeciae in supplicando mentum attingere mos erat. Est in aure ima memoriae locus, quem tangentes attestamur. Est post aurem aequae dextrae Nemesis, quae dea Latinum nomen ne in Capitolio quidem inuenit, quo referimus tacto ore proximum a minimo digitum, veniam sermonis a dijs ibi reconcentes. Varices in cruribus viro tantum, mulieri raro. C. Marium, qui septies consul fuit, stantem sibi extrahi passum vnum hominem Oppius autor est. Omnia animalia a dextris partibus incedunt, sinistras incubant. Reliqua vt libitum est gradiuntur. Leo tantum & camelus pedatim, hoc est, vt sinister pes non transeat dextrum, sed subsequatur. Pedes homini maximi, feminis tenuiores in omni genere. Surae homini tantum, & crura carnosae. Reperitur apud autores, quendam in Aegypto non habuisse suras. Vola homini tantum, exceptis quibusdam. Nanq; & hinc cognomina inuenta, Plancti, Plauti, Scauri, Pansa, sicut a cruribus Vari, Vatie, Vatinij, quae vitia & in quadrupedibus. Solidas habent vngulas, quae non sunt cornigera, igitur pro eis telum vngula est illis: Nec talos habent eadem. At quae bifulca sunt, habent. Idem digitos habentibus non sunt: neque in prioribus pedibus omnino vlli. Camelo tali similes bubulis, sed minores paulo. Est enim bifulcus discrimine exiguo pes imus, vestigio carnosus, vt vrsi: qua de causa in longiore itinere sine calciatu fatiscunt.

## De vngulis.

CAP. XLVI.

**V**ngula veterino tantum generi renascuntur. Sues in Illyrico quibusdam locis solidas habent vngulas. Cornigera fere bifulca. Solida vngula, & bicorne nullum. Vnicorne asinus tantum Indicus. Vnicorne bifulcum oryx. Talos asinus Indicus vnus solidi pedum habet. Nam sues ex vtroq; genere existimantur, ideo facti earum. Hominem qui existimantur habere, facile conuicti. Lynx tantum digitos habentium, simile quiddam talo habet: Leo etiamnum tortuosius. Talus autem rectus est in articulo pedis ventre eminentis, concava in vertebra ligatus.

## De pedibus auium &amp; vnguibus. CAP. XLVII.

**A**uim alia digitata, alia palmipedes, alia inter vtrunq; diuisis digitis adiecta latitudine. Sed omnibus quaterni digiti, tres in priore parte, vnus a calce. Hic deest quibusdam longa crura habentibus. Lynx sola vtrinque binos habet. Eadem linguam serpentium similem in magnam longitudinem porrigit. Collum circumagat in auersum. Vngues ei grandes ceu gracculis. Auium quibusdam grauioribus, in cruribus additi radij. Nulli vncos habentium vngues, longi pedes. Porrectis ad caudam cruribus volant: quibus breues, contractis ad medium. Qui negant volucrem vllam sine pedibus esse, confirmant & apodas habere, & ocen & drepanin, in eis quae rarissime apparent. Vix iam etiam serpentes anserinis pedibus.

## De pedibus insectorum. CAP. XLVIII.

**I**nsectorum pedes primi longiores, duos habentibus oculos, vt subinde pedibus eos tergeat, ceu notamus in muscis. Quae ex his nouissimos habent longos, saluunt vt locusta. Omnibus autem his seni pedes. Araneis quibusdam praelongi accedunt bini. Internodia singulis terna. Octonos & marinis esse diximus, polytis, sepijs, loliginibus, cancris, qui brachia in contrarium mouent, pedes in orbem aut in obliquum. Idem soli animalium rotundi. Cetera binos pedes duces habent, cancri tantum quaternos. Quae hunc numerum pedum excessere terrestria, vt plerique vermes, non infra duodenos habent, aliqua vero & centenos. Numerus pedum impar nulli est. Solidipedum crura statim iusta nascuntur mensura: postea exporrigentia se verius quam crescentia. Itaque in infantia scabunt aures posterioribus, quod addita aetate non queunt, quia longitudo superficiem corporum solam ampliat. Hac de causa inter initia pasci, nisi submissis genibus non possunt, nec vsq; dum ceruix ad iusta incrementa perueniat.

## De pomilionibus &amp; genitalibus. CAP. XLIX.

**P**omilionum genus in omnibus animalibus est, atq; etiam inter volucres. Genitalia maribus quibus essent retro, satis diximus. Offea sunt lupis, vulpibus, mustelis, uiueris, unde etiam calculo humano remedia praecipua. Vrsi quoq; simul atq; expirauerit, cornescere aiunt. Camelino arcus intendere orientis populis